runtur, sed dubitantur, sed somniantur. Honoramus
denique Iurisperitos, qui docent quo pacto res nostras tueamur,
ne alterum laedamus, suum cuique tribuamus, à quibus et ui
sunt et multa alia indigna comeduntur. ut nihil de le=
gum ipsarum antinomia, de litium iurgiorumque ac deceptio=
onum artibus, malarumque stropharum artificio dicam, quibus
illi non tam semetipsos quàm alios saepissimè pessumeunt:
et nos sani corporum nostrorum curatricem repudiabimus? il=
lam à qua salus ac uita nostra, saepenumero dependet, negligemus? Est
profectò Philosophia honoranda, est Iurisprudentia magni=
facienda, ueluti à maioribus nostris et optimis quibusdam
semper factitatum legimus; sed inter has Medicinae scien=
tiam primas tenere non immeritò affirmamus. quantò e=
nim reliquis fortunae bonis corpus robustum ac ualidum prae=
stat, tantò inter reliquas artes Medicinam, quae circa illud
uersatur ac efficit, necesse est. Caeterae scientiae praeclaros
quidem habent authores, homines tamen; haec ipsum Deum habet
latorem longo tempore post mundum hominesque creatos; haec
cum ipso mundo adoleuit. Alia humana studia omnia
subiecta sunt de medijs ad humanam uitam acquirendis;
hoc de uita ipsa, deque eius conseruatione, et impedimentis
remouendis negotiatur. Illarum cognitio quidem utilis est